

APPENDIX.

43

ra non solum inanis, sed quoque a crapulato stomacho processisse crederetur, nisi tot personarum testimonio probaretur. Nam ut narraverunt personæ, quæ fuerunt ibi præsentēs, Villachum ita commovit, ut etiam una domus integra non remaneret, nisi aliqua parvula de lignaminibus, quæ fundamentum non habebant. Ecclesia quoque Major, in qua erat multitudo virorum atque mulierum, ita impetuosè ruit, ut non potuerit etiam una persona evadere. Similiter etiam evenit locis Religiosorum. Eadem autem hora, tanta labundantia aquæ emanavit in platea, ut maximus fluvius videretur occupasse totam superficiem terræ. Eadem etiam hora, ignis accensus est in domibus obrutis, an ex collisione lapidum, an ex igne, nescio: ita impetuosè ruit, ut non potuerit etiam una persona evadere. Quandam etiam regionem viginti septem vel circa rurium & Castrorum, in lateribus cuiusdam montis situatam, ipso monte cadente ita operuit, ut de ipsis nihil penitus appareat. Ecclesiæ etiam Aquileg maximum ædificium funditus evertit: & per diversa loca idem signum supervenientis gladii irati iudicis terra demonstravit. Qualis autem gladius, & qualis ferientis manus fuerit, tibi sequens pagina, si intente inspexeris, declarabit.

Eodem quoque anno jam incepta pestilentia in Cathago: quæ per Tartarorum, Turcorum, Saracenorum, atque Græcorum partes feriendo transiens, nonnullas famosas Civitates, imo Provincias destituens, Italiam invasit. Quæ non solum Deo permittente, sed & iubente, totum terrarum orbem ita crudeli ulcere vulneravit, ut miras personarum interiret: & si bene numerassem, invenissem utique, quod de tribus duo decesserint. Penitus hæc mirabilis fuit, ut nonnunquam de eadem domo simul, & eadem die pater, & mater, atque filius ad tumultum deferrentur. Mirabilior tamen huius pestilentie qualitas, ut cum pater filium, vel filius patrem hoc morbo laborantem intueretur, ab eo fugeret, quasi cerasis sibi manu porrigeret. Nec mirum, solo enim aspectu hic morbus imprimi videbatur. Si enim pater basiliscus fuisset, non citius virus emisisset, quam morbum suum astantibus immittebat. Nonnulli quidem ex anhelitu contagionem ortum habere existimant: alii vero ex oculorum aspectu, alii autem ab aere; quidam tamen, licet pauci, cum ipsis morbidis conversantes evaserunt, nec eos aliquatenus morbi huius pestilentia tetigit, sed vix inter centum unus. Quosdam vero tetigit, & multum læsit, sed non ad mortem. Quosdam tetigit, & parum læsit. Cum autem defunctus deferebatur, vitabantur panni ejus: & quæ induebantur, sepius ut plurimum eandem mortem subibant. Itaut non solum in lectis decedentium accubantes, sed qui unum vestimentum deferebant, quo jam defunctus usus fuerat, ita contaminabatur, ac si in huiusmodi juxta ægrotum afflisset. Domus etiam ubi decesserant, multoties evacuasse suppellectilibus, atque ignibus calefacere in angulis, & suffumigationibus non valebat ita purificari, ut habitantes non inficerent. Unde aliquando deferabantur tali tempore, ut etiam patentibus januis intrare quis minime præsumpserit timore aeris corrupti, quasi spiculator gladium tenens, & mortem intransibilibus minans intus latuisset. Hanc utique pestilentiam nonnulli Epidemiam vocaverunt, idest distemperantiam aeris & ægritudinem a causa naturali procedentem; qui non parum a veritate deviaverunt. Si enim Physici causas ægritudinum perscrutantes, non magis fateantur se de eis intelligere, quam id quod de

Hypocratis aliorumque Auctore ore carperint; quomodo ægritudinis causam investigare possunt, quam tam subtiles speculatores minime cognoverunt? Aut quomodo videre poterunt, quod nunquam visum fuit, maxime cum scientia medicinæ ab experientia principium habeat? Si enim fuisset ex distemperantia aeris, eisdem diebus eandem provinciam, vel Civitatem occupasset; quod non faciebat, sed erat hodie in hac Civitate, & perseverabat uno mense, vel duobus: in alia vero vicina ad decem vel viginti milliaria non erat: & cum hic cessabat, continuo illam egrediebatur; aliquando per viam rectam pergebat, aliquando anticipabat, nihil intactum permittebat. In nulla regione simul occupavit duas Civitates, sed successive incedebat, ut videretur non aer, sed persona de loco ad locum pergens, gladioque feriens. Astrologi etiam arcana Dei præludentes investigare, asseruerunt Jovem cum Saturno conjunctum esse: quam conjunctionem pestilentie huius causam esse prædicabant: quos mentitos fuisse existimandum est. Constat enim, a principio orbis citra prædictos Planetas conjunctos alias fuisse, non tamen talem plagam in creaturas Dei exercuisse. Pestilentia enim, da qua loquimur, in triplici forma visa fuit. Videlicet in glantia, carbunculo, & sputo sanguinis. De carbunculo & glantia quamplures evaserunt, de sputo sanguinis nullus. Cum enim quis per viam incedens, se spueresanguinem cernebat, nuntium mortis se recipere non ignorabat. Adveniente secundo anno manus Domini visa est cessare in Forojulii provincia in mense Februarii, & placatus est Deus, & misericordia ejus apparuit multa; quoniam non delevit omnem hominem. Ipsi honor, gloria in sæcula sæculorum Amen.

Iesu Christi secundum Nativitatem assumptæ carnis annus Millesimus Trecentenus sexagenus quartus, Indictio bina, Mensis quidem Septembris vigesima secunda dies. Doceant superstites recordari præteritorum, præsentia licet momentanea & caduca cælo prævio gubernare, ac futura præambulo Deo præcavere & sapienter prævidere, dicente Esopo: ratio præsentia scire futura facit. Hinc enim est, quod cum Nobilis Castellanus Franciscus de Drauspergo, ac de Villalta, amissa Villaltæ parte circa annum Domini Millesimum Trecentensimum quinquagesimum tertium, tempore Patriarchæ Nicolai, fratris Karoli quarti Boemi Romanorum Imperatoris, sese subdidisset dominio Ducis Austriæ, paucorum annorum facto intervallo universa carnis debitum solvit. Cujus filii, Joannes, Fulbertus, & Mattheus patris præstantes, & cum hominibus Civitatis huius guerram habentes, accipientes de montibus equos, passi a Civitatensibus licet invite, tamen debite castrametationes & damna grandia, Monetam falsam cudi facientes, tandem resignato Castro in manu Ducum Austriæ obierunt. Et cuidam Capiteano sub nomine Comitissæ Cistæ Castrum commissum est. Sed ohi Deus, quid diutius immoramur? Dum populus Utinensis auxilio Patayino circa Spegnimbergum, & Zuculam grave damnum intulisset: & existentibus Nobili Guiljelmo Bojano & Orfobono Stacionario quondam Cavalarii Civitatensibus Provisoribus, & Joannuto dicto Spu Camerario, Commune Civitatis sciret, Drauspergum, latronum speluncam, male fulcitum victu & gente, ad ipsum quantocius accesserunt cum solis suis Veteranis & machinis: & habitis cum Capi-

L Galieni

aliquando? atq. nec

Nota de Drauspergo et

Locustis 93 (proque)

L maltotiens

la

la

la

la